

por sí misma es digna ; el recto fin la hace dignísima. Las razones de Hombre , de Christiano , y de Religioso , todas conspiran á influir el amor del Público , y el deseo de ser util al próximo : *Deus est homini , juvare hominem*, decía Plinio el Mayor. No dudo que hallará V. md. en esta Carta algunas erratas que corregir , ó ya porque no alcanzase mas mi ingenio , ó ya porque llevé demasiadamente veloz la pluma. Pero si el yerro no está en lo substancial de las máximas , no es justo que la corrección de él interrumpa á V. md. sus preciosas tareas. A tan noble entendimiento no le crió Dios para pequeños asuntos. Y la Medicina es acreedora á que V. md. la ilustre mas cada dia con sus excelentes Libros. Prosiga V. md. en purgar su Arte de varios errores. Los demás Médicos sonlo únicamente de los hombres. V. md. es Médico de los hombres , y es tambien Médico de la misma Medicina.

*Quæ , nisi tu velis , non est habitura salutem.*  
Nuestro Señor guarde á V. md. muchos años para esplendor de su Facultad. Oviedo , y Noviembre 6 de 1726.

B. L. M. de V. md.

Su mas el Servidor , y Amigo,

Fr. Benito Feyjoo.

VE-

VERITAS  
VINDICATA  
ADVERSUS  
*MEDICINAM VINDICATAM,*  
AUCTORE  
REVERENDISSIMO PATRE MAGISTRO  
**FR. BENEDICTO FERJOÓ,**  
BENEDICTINO.  
AD ILLUSTRISSIMUM  
**D. JOSEPHUM CERVI,**  
PATRITIUM PARMENSEM,  
Ordinis Equestris, Philosophiæ, & Medicinæ  
Doctorem Collegiatum , in celebri Universi-  
tate Parmæ Primarium Professorem, Philippi  
Quinti Regis Medicum Cubicularium , &  
Elisabethæ Farnesiæ Hispaniarum Reginæ  
Archiatrum, Proto-Medicum, Regiæ Hispa-  
lensis Academiæ Scientiarum Socium , &  
Ex-Præsidem , Catholicæ Majestatis  
à Consiliis , &c.

*EX quo tui nominis laudes (clarissime Archiater) ab Aula Regia ad extremas usque Asturum oras ad volarunt, eximias tuas animi dotes (quas etiam communes amici narrarunt) summo honore, singularique existimatione prosequutus sum. Te Medicorum velut Archetypum contemplor, colo, ac suspicio. In te mixta fluunt, quæ vel divisa beatos efficerent: doctrinæ ubertas, mentis acumen, erga benemeritos strenua proclivitas in agendis consilium, in actione diligentia, in successu felicitas, atque in omnibus simul singularis præstantia. Ob hæc Regia salus (in qua, & salus publica sita est) tibi ac tuo judicio commissa, meritò (quantum licet humanae conjecturæ) tutam se existimat. Et quidem cui prudenter fidendum, quam honestissimo, eruditissimo, ac experientissimo Viro, qui Medicæ Artis peritia paucissimis videtur comparandus, inferior nulli? Certitudinem Medicinæ tandiu ab incerto Medicorum vulgo quæsitam, quamdiu à certioribus adhuc non repartam aliqui publicis scriptis stabilire conati sunt, inter quorum dissidentia irritaque molimina certitudinem adstruendi, crevit amplius incertitudo, quam in mea Crisi Medica propugnandam suscepseram. Sed hoc ulterius me in bac opinione confirmavit, quod si in aliquo Medicinæ Professore certitudinem invenire fas esset, in te maximè (Archia ter ornatissime) qui cæteros etiam famigeratissimos Machao nes abundè præcellis, & cujus non exigua laus est, artem ex se conjecturalem ab eventu veluti certam reddidisse. Pulchrior hinc eruditis Medicis accrescit gloria, cum prudentiæ eorum egregia vis ex regulis prudentibus solum, opera, quæ ab evidentiæ legibus profluere videntur, mirificè præstet. Hoc igitur qualecumque opusculum tuo nomini consecro, ut te, Medicinam non aliud esse quam Prudentiam, attestante, de ulteriori probatione reliqui desperent. Vive, vir optime, & me tui amantissimum redama, gnarus (verbis utor Plinii) epistolam meam tantum ab adulacione abesse, quantum abest à necessitate.*

Tibi addictissimus, & obsequentissimus  
Fr. Benedictus Feyjod.

VE-

## VERITAS VINDICATA ADVERSUS MEDICINAM VINDICATAM.

§. I.

**N**ihil magis in votis fuit, ex quo Medicinæ, in certitudinem publico scripto patefeci, quām ut objectiones Medicorum, quas certissimè erupturas prævidebam, etiam convincentes experirer. Intererat vinci potius, quam vincere. Quid enim, homini præsertim vale tudinario, qualis ego sum, jucundius accidere poterat, quam vi argumentorum cogi ad indubie spectandum, seu contra præsentes, seu contra futuros morbos, è Medicæ Arte subsidium? Sed in casum hæc vota ceciderunt. Indictum est contra me bellum: acrius quidem, quam pro meritis. Irruerunt omni ex parte calamis, imò verius spiculis, armati Medici, adversi rupto, ceu quondam turbine venti. Prodierunt scripta injurii sæva, quas æquo animo tuli, jam pridem gnarus multum in hoc certamine convitiis agendum. Non de omnibus queror. Absit ut penitus exulent è Medicæ facultate modestia, & comitas. Pauci, quos æquus amavit Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus, intra fines honestatis calatum strinxerunt; cæteri majori numero, qua data porta ruunt, & terras turbine persulant.

2. Diuturna indagine quæsivi in tot scriptis certitudinem Medicinæ: quæsivi, & non inveni. Imò (quod mirere) inter irritos conatus asserendi certitudinem, crevit incertitudo: quia nimirū Medici Scriptores, cum sua quisque regat diverso flamina tractu, æquè inter se multo, quam mēcum dimicabant. Quod hic asserebat, ille negabat: quod hic moliebatur, demoliebatur ille: Tan-

Tom. II. del Teatro.

Bb

ta

*ta est discordia fratrum!* Quos hic Autores Medicos ad cœlum laudibus evehebat , ille probris cumulabat. Is Astrologiam in Medicinæ subsidium trahebat ; ille ( & quidem meritò ) in Tartarum ablegabat. Apud hunc Inventa moderna florebant ; apud illum in ludibrium abibant. In ipsum usque punctum difficultatis discordia propagata est. Incertitudinem Medicinæ , alii fraudulenter dissimulabant, alii sincerè fatebantur , alii audacter negabant ; ita in iis ipsis scriptis , quibus propugnabant mutuam in dogmatibus concordiam , apparuit nunquam componendum subsidium.

3 Postremi agmen clauerunt quidam Doctor Araujo, & Dominus Ignatius Ros , non minus sententia , quam sermone dispare; hic equidem curtior , & urbanior ; nisi quod interdum mixtum cum rore aliquid grandinis irrepstis. Ille insulsis jocis , confusa farragine ubique paginam foedans, libellum edidit , quem jure possim vocare *famosum* : adeò inter frigidas ineptias eminent atroces injuriaæ. Ipse titulus fronti inscriptus *Residencia Médico-Christiana* , ostendit animum , & mentem hominis : quasi nempe contra aliquem Mahumetanum , aut Judæum judiciali fulmine detonaret. Sed detonet ille , quantum libuerit. Scio libellum illum à paucis doctiorum sine nausea exceptum. Exinde tamen placuit , quod incertitudinem , fallibilitatemque Medicæ artis aperte fassus est , imò vitio mihi vertit , quod nihil novi , sed rem omnibus notam protulerim. Sit profecto: non novitatem , sed veritatem amo.

4 Sed ecce dum hic Medicinæ incertitudinem in ipsis plateis , & triviis vulgatam clamitat , ex adverso surgit Dominus Ros novus Medicinæ Vindex , in libello , cui titulum posuit *Medicina vindicata* , hujus artis certitudinem obtrudens , tamquam ipsis divinis oraculis stabilitam. O utinam !

5 Octimestre spatium consumpsit in edendo opusculo *Medicina vindicata* : sinistro quidem omne : nam teste ipso Hippocrate , nullus partus octimestris vitalis est. Scilicet tantæ molis erat , quæ ab aliis idiomate Hispano conscrip-

scripta fuerant , in Latinum transferre. Quæ verò necessitas scribendi Latinè ? An me peregrinum in Latio suspicatus , volentem nolentem trahere cupit ad respondendum Latinè , ut nempe præpeditur sermonis difficultate succumbam ? Doleo sane committere prælo Latinam scriptionem , maxime dum propter absentiam nequeo castigare menda , quæ plurima ex inscitia Typographi irreptura prospicio : præstò enim aderit cavillator aliquis , qui ductus pruritu maledicendi , in me transferat Typographi imperitiam. Exemplum jam aliis præbuit ille Araujo , qui in mea responsione ad Epistolam defensivam Doctoris Martinez , hunc errorem typorum , *el reo demandando ante el Juez* , tamquam meum criminatus est. Scripseram ego, *demandado* : idque facili negotio conjiceret quicumque non esset maxime tardi , & hebetis ingenii.

6 Eoque justius hoc timore angor , quod video opusculum Domini Ros , quamquam ipse , ut credere fas est, correctioni sedulò invigilaverit , mendis gravissimis scattere. Sit pro specimine Epistola dedicatoria , in qua , cum satis brevis sit , occurruunt non minus quam septem solœcismi & tres barbarismi : nempe pag. 1. lin. 5. *plaudit urbis* , & *orbis* , est solœcismus , in Nominativo enim non dicitur *urbs* , sed *urbs* : pag. 2. lin. 21. *Navarra Regis* est solœcismus , debuit dicere *Navarræ* , est enim nomen declinabile sicut Hispania , Castella , Gallaecia , &c. paulò infra: *Ferdinandi Primi Castellæ Infantis* , continet barbarismum; non enim Latino , sed tantum Hispano idiomate , filii Regum post hæredem dicuntur *Infantes* : pag. 3. lin. 4. *Tum etiam Imperatores Carolo V* &c. est solœcismus: debuit dicere *Carolus V*. lin. 13. *derictetur* barbarismus est, nullum enim tale verbum in tota Latinitate invenitur. Item. lin. 15. *Accipisse* pro *acepisse* etiam est barbarismus. Pag. 4. lin. 8. *Primum ingenioli mei partum lucem publicam fœneraturum*, est solœcismus : verbum enim *fœneror* non petit accusativum in re , quæ pro lucro exigitur ; sed tantum in re, quæ pro lucro exigendo datur. Lin. 13. *Sicut nulli dignius possum* , ita nulli libentius præsentem librum vestræ dedico

sapientiæ, est periodus monstrosa, cuius si postremam partem in Hispanum sermonem vertere velis, non aliter poteris quam hoc modo: *Así con mas gusto dedico este libro á vuestra ninguna sabiduría*: quæ sane insignis contumelia est in Eminentissimum Borgiam. *Quam vestræ dici debuit, & defectus particulæ quam reducitur ad illam speciem solœcismi, quæ juxta Quintilianum (lib. I. Inst. Orat.) consistit in detractione.* Lin. 20. *Eminentia tuae spero jucundum esse*, est solœcismus; debuit dicere: *Spero jucundum fore, aut jucundum futurum esse.* In fine ejusdem paginæ: *ad sinum Eminentia tuae, ejusque patrocinium accurrimus fœtus cum parente ad pedes tuos advoluto, est solœcismus: Fœtu debuit dicere, aut melius fœtus, & parentis ad pedes tuos advoluti.* Sed quid ultrà prosequar? Tanta est Typographorum ignorantia, aut incuria, ut ipsum opellæ titulum barbarismo, ac solœcismo foedarit. Sic incipit titulus: *Medicina vindicata, discursus Apologeticus.* Est barbarismus. *Discursus enim Hispano idiomate significat carrera desordenada, ó por diversas partes*, quod abs dubio non fuit in mente, imò nec in prototypa Vindœcis scriptura. Verius quidem putandum est scripsisse: *Dissertatio Apologetica.* Sic prosequitur: *Nobilissimæ necessariæ, &c. Scientiæ Medicæ:* hic iterum solœcismus: casus enim iste genitivus non est à quo regatur: nam si indicet possessionem, erit idem ac dicere: *Discurso de la Nobilísima Ciencia Médica*, quo nil absurdius. Forsan Vindex scripsit pro nobilissima *Scientia Medica*. Impetus fuit libello inscripto *Medicina vindicata*, opponere libellum inscriptum *Grammatica vindicata*, & revera opposuisse, si mihi cum Typographo certamen esset.

## §. II.

7 **V**ideamus jam quid afferat novi novus Medicinæ Vindex. Vix aliud quam novam Latinitatem. Objicit mihi primo illum toties inculcatum textum Ecclesiastici: *Honora Medicum, &c.* hæc est sacra anchora ad quam omnes Medici confugiunt. Sed quid inde contra me?

Stat

Stat Ecclesiasticus pro honore, & mercede Medicorum, prædicat opera eorum necessaria, commendat Medicinæ utilitatem. An ego honori, & mercedi Medico debitum obstitui umquam? Afferui ne Medicinam inutilem, aut noxiā esse? Neutquam. Probavi tantummodo, idque evidensimis argumentis, esse incertam. Id nihil honoris, utilitatisvè, arti, aut professoribus detrahit. Existimat ne Vindex artis pretium unice petendum ex ejus certitudine? Errat profectò. Pretiosior est abs dubio Reipublicæ optimus belli Dux, qui tamen in invadendo, aut evadendo hostem probabilibus tantum utitur conjecturis, quam peritissimus Architectus, qui in arcibus erigendis evidentibus utitur demonstrationibus.

8 Hinc in auras evanescunt omnes illæ criminationes, quibus me impedit, tamquam Sacrae Paginæ adversantem: omnes enim falsa nituntur suppositione, quod Medicinam falsam, noxiā, & inutilem prædicaverim. Perperam confundit Vindex incertum cum falso, inutili, & noxiō, quæ toto cœlo aberrant. Ars militaris (de illa loquor, quæ ad summum belli Ducem spectat) iacerta est; non tamen falsa; multo minus Reipublicæ, aut inutilis, aut noxia.

9 Sed jam probat Vindex Medicinæ certitudinem ex Sacro Textu. *Medicina* (inquit) est scientia juxta illa verba: *Dedit hominibus scientiam: sed scientia est certa, & evidens, ut omnes Logici norunt: ergo Medicina est certa, & evidens.* Egregium profectò argumentum! quasi ubique nomen scientiæ in Sacris Litteris invenitur, accipiendum esset in eo scholastico sensu, in quo à Logicis accipitur. Honoranda igitur erit ars obstetricandi, ut habitus per demonstrationem acquisitus: nam de obstetricibus Hebreis dicitur Exod. I. *Obstetricandi habent scientiam.*

10 In crassissimos errores impinget quicumque verba Sacrae Paginæ passim in scholastico rigore accipiat. Esto exemplum (aliis innumeris omissis) in ipso textu Ecclesiastici, quem mihi objicit Vindex: *Altissimus (inquit Sacerdotes) creavit de terra medicamenta: ecce propositionem implicitoriam, si creationem hic sumas in sensu scholasti-*

Tom. II. del Teatro.

Bb 3 co:

co : creatio enim est productio rei ex nihilo ; implicat autem medicamenta esse producta de terra , & esse facta ex nihilo.

11 Igitur scientia , & sapientia in Divinis Litteris frequenter sumuntur , tum pro quocumque habitu cognitivo , tum s̄epissimè pro prudentia : uti novit quisquis Sacros Codices , vel è limine salutavit. Imò aliquando hæ voces signantes habitus intellectivos ad sensum omninò metaphoricum extrahuntur: qualiter Psalmus 18. dicitur: *Nox nocti indicat scientiam:* & apud Job cap. 38. asseritur, quod Deus dedit gallo intelligentiam.

12 Sed gratis concedamus Vindici Ecclesiasticum, non modò commendasse Medicinam ut utilem , & necessariam , verumetiam ( quamvis falsissimum sit ) ut certam, & infallibilem. Cum nobis disputatio sit de Medicina hodierna , restat ipsi probandum hanc eandemmet esse cum ea , quam probat Ecclesiasticus , & quæ tunc temporis vigebat in Palaestina. Mirum est , quantum se in omnem partem torqueat Vindex , ut hanc identitatem asserat ; sed irrito labore.

13 Ait primo Hippocratem plusquam ducentis annis præcessisse Auctorem libri Ecclesiastici : ac proinde non aliam , quam Medicinam Hippocraticam ab Ecclesiastico fuisse probatam. Sed præterquamquod antecedens non adeo certum est , quin negari possit ( cum plures Sancti Patres, & Summi Pontifices à Cornelio Alapide citati in Prolegomenis super Ecclesiasticum hunc librum tribuant non Iesu filio Sirac , sed Salomoni , qui quinque sæculis præcessit Hippocratem ) consequens minimè infertur. Aliàs esset, & hæc bona argumentatio. Paracelsus duobus sæculis præcessit *Auctorem Medicinæ Vindicatæ:* ergo Medicina, quam hic Auctor approbat, est Medicina Paracelsica. Nonne irridendum se præberet , qui argumentaretur hoc modo ?

14 Forsan existimat Vindex Hippocraticam methodum , per illa duo sæcula , quæ ab Hippocrate ad auctorem Ecclesiastici fluxerunt , in omnem terram disseminatam esse , & cunctis nationibus probatam. Sed id longis-

sime à vero aberrat. Auctor est Plinius post decessum Hippocratis diù regnasse in Sicilia Empyricorum sectam ab Acrone Agrigentino fundatam , Romani ipsi per illud tempus Empyrice etiam curabantur , cum Roma Græcis Medicis omninò caruerit usque ad Archagatum , qui admisus est Lucio Æmilio , & Marco Livio Consulibus , anno ante Christum natum 220. quid mirum quod Hebræi , quibus minus commercii erat cum Græcis , quam Siculis , & Romanis , aliam curandi rationem haberent longe diversam ab ea , quam in Græcia statuerat Hippocrates.

15 Nec in ipsa Græcia constans diu fuit Hippocratis auctoritas. Vix sæculum integrum à decessu Hippocratis fluxerat , cum Chrysippus Gnidius ejus dogmata evertit: statimque post Chrysippum discipulus ejus Erasistratus Aristotelis ex filia nepos , quamvis non multum suo præceptoris addictus , tamen cum eo in eliminanda Hippocratis doctrina consensit.

16 Secundo probat Vindex Medicinam ab Ecclesiastico commendatam , esse eandemmet Hippocratis Medicinam, ex duobus præceptis circa diætam ab Ecclesiastico traditis , & consentientibus doctrinæ Hippocratis. Lepidum argumentum ! hoc perinde est , ac si aliquis probaret eandemmet esse doctrinam moralē Christi Domini, & Confucii Philosophi Sinensis , ex eo quod aliqua præcepta moralia Confucii consentiunt Evangelicæ Doctrinæ. Imò ( quod longè pejus est ) similiter probari posset eandemmet esse Doctrinam Evangelii Christi , & Alcorani Mahumeticī , eo quod in hoc damnantur homicidium, adulterium , furtum , aliaque scelera , quæ in Evangelio prohibentur.

17 Commendat Ecclesiasticus temperantiam in cibo, & potu , suadetque vomitum in casu nimiae repletionis. Ecce Medicinam Hippocraticam , clamat Vindex. Recte quidem : quasi ex his duobus præceptis universa Lex penderet , & Prophetæ : quasi , inquam , in his duobus præceptis virtualiter , aut formaliter continerentur tota ratio curativa , & pronostica Hippocraticæ doctrinæ : qua-

si nescisset Orbis terrarum intemperantiam esse corpori inimicam , nisi Hippocrates hoc magnum arcanum revealasset : Quasi Palæstini Medici ignorassent , nisi Hippocrate docente , quod ante Hippocratem sciebant Indi, Æthiopes , Scythæ , Cilices , Numidæ , Garamantes. Pendet his immorari.

18 Imò etiam si daremus Medicinam Hippocraticam ab Ecclesiastico probari , nihil inde concluderet Vindex pro Medicina hodierna. Omnes ferè Medici Hippocratis se sectatores profitentur , ejus Aphorismos sæpiissime in ore habent. Cæterum , si praxim , quæ hodie viget , cum Hippocratica conferas , invenies illam ab hac recessisse quantum distat Occasus ab Ortu. Id notarunt his postremis temporibus doctissimi viri. Baglivius ait vix è sexcentis Medicis unum reperi , qui , dum curationi incumbit , ab Hippocrate non dissidiat ; imò qui non in contrarium tendat ( fol. mihi 250. ) nemini , qui scripta Hippocratis legerit , ignotum fuisse senem illum , in præscribendis remediis parcissimum , nihilque magis cordi habuisse , quam vires integras ægroti servare. Quid hoc habet commune cum laniena illa , quæ hodie in usu est ? Nostrates Medici ( paucissimis exceptis ) nec quiescunt , nec quiescere ægrotum sinunt. Vix unquam ad illum accedunt , quin vel cataplasma , vel unctionem , vel clysterem , vel confractionem , vel purgationem , vel phlebotomiam , vel cucurbitulas , vel aliud decernant. *Hi* ( ait Galenus primo de Dieb. dec. c. 11. ) quoties ad ægrum accedunt , toties peccant. Et tamen hi doctissimi vulgo prædicantur , etiam cum ægrum jugularunt : quia scilicet ( hæc est vox orbatæ familiæ , imò totius plebis ) nihil omisserunt eorum , quæ ex Artis præscripto fieri debebant. Recet doctissimus Daniel Leclerc in Historia Medicinæ , 1. part. lib. 3. ait , quod si Hippocrates hodie viveret , à majori parte ægrotorum ut ignorantissemus rejiceretur. Scilicet Hippocrates ingentes morbos sæpè Naturæ , & regimini , nulla alia adhibita opere , commisit : quod nunc pro summa inscritia reputaretur. Tam longe abest , ut praxi Hippocraticæ praxis hodierna consentiat.

Ter-

19 Tertiò probat Vindex identitatem hodiernæ Medicinæ cum ea , quam approbat Sacer textus : quia unitas Scientiæ desumitur ab unitate objecti , & finis ; idem autem objectum , idemque finis est utriusque Medicinæ , nempe objectum corpus humanum , ut sanabile ; & finis sanitas. Ergo.

20 In hoc argumento latet insignis æquivocatio , quam detegendam suscipio. Itaque notandum est primo , commun modo loquendi , frequenter nomen alicujus habitus tribui alteri habitui , non solum distincto , sed etiam opposito. E. C. Superstitionis est vitium ex peculiari ratione oppositum virtuti Religionis ; & tamen frequenter usuvenerit nomine religionis , Superstitionis ipsa , seu habitus inclinans in cultum superstitionis. Sic passim auditur , & legitur : *Religio Turcarum* , *Religio Tartarorum* ; cum tamen illa non sit Religio , sed Superstitionis : utique quia Religio est virtus reddens debitum cultum Deo ; Superstitionis vero vitium reddens , vel Deo indebitum cultum , vel Creaturae cultum debitum Deo. Sic etiam Augustinus , lib. 6. de Civit. cap. 6. & 7. loquitur de tripli Theologia Ethicorum , Naturali , Theatrica , & Civili ; cum tamen neutra ex his sit vera Theologia. Uno verbo Religio dicitur æquivoco de vera , & falsa Religione , similiterque Theologia , de vera , & falsa Theologia. Idem in usu nominum significantium alios habitus accedit.

lib. 21 Notandum secundò alium esse finem operis , alium finem operantis : Quæ distinctione maximè in usu Artium locum habet. Imperitus artifex intentione semper querit filiem artis ; opere vero multoties ab eo deviat ; v. g. Nauclerus semper navem in portum dirigere intendit ; attamen ob inscitiam aliquando in scopulum dicit.

22 Tertio præ oculis habendum est , me in responsione ad Doctissimum Martinez non asseruisse distinctionem hodiernæ Medicinæ , ab ea quam Ecclesiasticus approbat , sed tantum negasse constare identitatem : idque ad positionem stabilendi propositionem illam hypotheticam , nempe , quod si dicerem Medicinam hujus sæculi top-

tam